Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 227

Quelle:
Copyright:

Cui caput imponit. ſponſam diademate comit.
Equat reginis. Sponſus coniungit amicis.

Atque vel hinc adparet, quam vere de Autore L. IV. *ſuprac. c. ult.* dictum ſit: *Miro modo Cantica Canticor. expoſuit, ita ut prius expoſita non videantur.* Probabile etiam ſit, *Codicem* noſtrum ejus tempora prope contingere cum propter characterum formam, tum propter picturae adparatum, tum etiam propter partium *Prologi* diſpoſitionem, quae longe cohaerentior eſt, quam quidem in Editis, ut conferenti patebit.

II. *fol.* 108. p. 2. ſequitur Ejusdem *Sigillum Sancte Marie*, ſive *Cantici Canticor.* ad eam adplicatio. Praeit Epiſtola: *Fratres Solitario. Optimo Magiſtro, Librorum Regiſtro* &c. et *Reſponſio Solitarii. Quia pondus diei et eſtus decreui* &c. Tum Opus incipit: *Dicitis uos mirari, cur euangelium* &c. et finit: *poſt hanc miſeram peregrinationem cum ipſa regnetis in ſecula. Amen.* Ut a me pluries cum hoc, tum *Vol.* I. indicatum, et in *Bibl. PP. ſuprac.* p. 1217. impreſſum.

III. *fol.* 123. *Incipit de neocoſmo.* Praeit Locus quidam de XLVI. Annis aedificationis Templi adplicatis ad aedificationem corporis Chriſti, cui Librarius perperam *Hieronymi* nomen impoſuit. Atque hunc eundem locum fuiſſe patet in *Codice Gemnic.* e quo Opuſculum praeſens edidit *Bern. Pezius* T. II. *Theſ. Anecd col.* 69. qui laciniam illam *Praefationem* inſcripſit. Sed genuina Praefatio illa eſt, quae incipit: *Quia multi multa de primis ſex diebus diſſeruerunt* &c. ut agnovit ipſe *Pezius Diſſ. Iſag.* p. 6. et ego monui *Vol.* I. P. I. *col.* 252. Hic interim dubium movere debeo de ultimis ejus verbis: *pando uobis huius textus obſcuritatem. Cui uero hoc placeat. elucidario noſtro in capite prefigat. Exameron.* Loquine credam *Solitarium* noſtrum de hoc Libello tribus *Elucidarii* ſui Libris praefigendo, an vero de illo, quem ſane *Elucidarium* adpellare poteſt, cum *obſcuritatem* pandat, *Hexameron* inſcribendo? Mihi quidem mens Scriptoris magis videtur, ut Libellus hic *Hexaemeron* vocetur, quam, ut praefigatur *Elucidario* illi dialogico inter *Anſelmi* Opera edito, et a me *Vol. ſuper.* non ſemel relato, a quo forma penitus abludit. Demum obſervo, Exemplar noſtrum absque diviſione in *Capita* decurrere, et, quod *Pezio Caput* VI. eſt *de Incarnatione Domini*, nobis ſimpliciter ad marginem rubro notari: *De natiuitate Domini.*

CL.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 246. f. per duas columnas diligenter et nitide exaratus, rubricis comtus, et hanc in involucro notam praeferens: *Hunc librum dedit Collegio Magiſtrorum Eximius Artium et Sacre pagine profeſſor Magiſter petrus de pulka.* U. 134

Obijt